



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XIX. V. teneatur quilibet proprio suo Sacerdoti confiteri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput VI. De Ministro

mur hunc articulum mortis, consultò remedium Eucharistiæ, & Absolutionis Sacramentū adhibetur, cū medici iam ferè desperant, & certa futuræ mortis argumenta deprehendunt.

Questio *Tenetur ne quilibet proprio suo Sa-*
XIX. *cerdoti confiteri?*

Responſio. **A**D Confessionis essentiam absolutè necessarium est, vt Confessio fiat aut proprio Sacerdoti, aut ei, cui proprius vices suas commendauit.

Probatur **PRIMO.** Quia Confessio Sacramentalis absq; iurisdictione constare nequit; atqui soli ordinarij & eorū vicem gerentes, iurisdictione pollent; Solis igitur illis fieri debet.

SECUNDO. Quemadmodum Episcopus extra suam Dicecesin nihil potest, ita neque Parochus extra suam Parochiam. Si itaque pœnitens salutarem vult obtinere Absolutionem: necessarium est, vt non alieno; sed proprio Sacerdoti, quiq; in ipsum habeat imperium, sua confiteatur peccata.

TERTIO, probatur ex illo Concilij Cōc. Trid. Lateranensis Can. Omnis vtriusq; sexus &c. Sess. 14. Similiter ex definitione Concilij Florentini Can. 6. & Tridentini, cuius verba sunt: Si quis dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper

per obseruauit, & obseruat, alienū esse ab institutione & mandato Christi &c. Anathema sit.

Quisnam est proprius Sacerdos?

Proprius Sacerdos idem est, quod ordinarius, cui nimirum ex proprio officio & iurisdictione cura animarum incumbit, & iudex est in foro Pœnitentiæ: Nam proprius distinguitur à delegato, & qui ex cōmissione absoluit, non est proprius Sacerdos. Aliud enim est, esse legitimum, & aliud proprium; vt proprius sit ordinarius; legitimus tamen est, quicumq; id potest, siue propria, siue cōmissa auctoritate.

Tres ergo sunt cuiuscunq; secularis Christiani proprii Sacerdotes: Nempe, Romanus Pontifex, qui est Vniuersalis totius Ecclesiæ, vt patet ex illo dicto Christi: Pasce oues meas. Et Episcopus in suo Episcopatu, iuxta illud Actorum: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Et Parochus in sua parochia; Qua de re Paulus ad Titum ita scribit: Et constituas per ciuitatem Presbyteros &c. Nā Archiepiscopus non est proprius Sacerdos in Episcopatu Suffraganei, licet habeat iurisdictionem super Episcopum in foro exteriori.

Suntne iure Diuino aliqui proprii, an tantum positiuo?

Questio

XX.

Responso.

Proprii Sacerdotes tres.

Ioan. 21.

Acto. 20.

Tit. 1.

Questio

XXI.

L 3

Iure